

# ACTA OFFICIORUM ACTA OFFICIORUM

## PONTIFICIA COMMISSIO

### AD CODICIS CANONES AUTHENTICÆ INTERPRETANDOS

#### RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiæ Commissionis ad Codicis canones authenticæ interpretandos, propositis in plenario coetu quæ sequuntur dubiis, respondendum mandarunt ut infra ad singula:

#### I. - DE CONFESSIONE RELIGIOSARUM

D. I. Utrum confessio religiosarum peracta extra loca, de quibus in canone 522 et in responso diei 4 Novembris 1920, sit tantum illicita, an etiam invalida.

II. An verbum *adeat* canonis 522 sit ita intelligendum ut confessarius advocari nequeat per ipsam religiosam ad loca confessionibus mulierum vel religiosarum legitime destinata.

R. Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.  
Ad II. *Negative*.

#### II. - DE ABSOLUTIONE IN PERICULO MORTIS

D. An absolutio in periculo mortis secundum canonem 882 limitetur ad forum internum, an extendatur etiam ad forum externum.

R. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

#### III. - DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

D. An verba *pro casibus occultis* canonis 1045 § 3 intelligenda sint tantum de impedimentis matrimonialibus natura sua et facto occultis, an etiam natura sua publicis et facto occultis.

R. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

#### IV. - DE SUBDELEGATIONE ASSISTENDI MATRIMONIIS

D. I. An vicarius cooperator, qui ad normam canonis 1096 § 1 a parochus vel loci Ordinarius generalem obtinuit delegationem assistendi matrimoniis, alium determinatum sacerdotem subdelegare possit ad assistendum matrimonio determinato.

II. An parochus vel loci Ordinarius, qui ad normam canonis 1096 § 1 sacerdotem determinatum delegaverit ad assistendum matrimonio determinato, possit ei etiam licentiam dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum eidem matrimonio.

E. *Affirmative* ad utrumque.

Eomae, die 28 mensis Decembris 1927.

P. Card. GASPAKRI, *Praeses*.

L. j§j S.

Ioseph Bruno, *Secretarius*.